

A. Excerpta ex Fastis 2 Reg. 5, 4-11, 4.

1) Praeparatur promissio Davidi facienda 2 Reg. 5, 4-6, 23.

a. David universi Israel rex agnoscitur 2 Reg. 5, 4-5.

Cap. V v. 4 « *Et venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce, nos os tuum et caro tua sumus* ». v. 2 « *Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel. Dixit autem* » — et dixit — « *Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel* ». Venerunt « ex omnibus tribubus aliqui, praesertim principes » (Mar.). Num simul venerunt? Nolim affirmare. Plus septennio regnavit David in Hebron, biennio tantum Isboseth (2, 10 sq.), tamen Isboseth brevi post mortem Saul videtur esse creatus rex in Mahanaim: manet ergo quinquennium ab interfecto Isboseth, quo tribus septentrionales sibi relictae paulatim ad partes Davidis transiisse videntur. — Cum *exitus et introitus* (3, 25; 1 Reg. 18, 13, 16) significet omnia, quae quis agit, expressio *educere et reducere Israel* significat totam administrare rempublicam vel rem militarem. — Verum quodnam est argumentum verborum? *Michaelis, Then.*: Nolumus amplius regem nobis ceteroquin acceptum ideo solum recusare, quod ex alia sit tribu. Simplicius ita: Eiusdem gentis es, cuius nos sumus; iam regnante Saul egregie de republica meritis es; insuper te Deus ad regnum selegit: quare te libentissime regem agnoscimus. Recteque *Menoeh*, provocat ad Deut. 17, 15: « *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus* ». — Dictum illud Domini verbotenus in prophetiis ad nos transmissis non habetur (cf. etiam 3, 9, 18); sed nonne id ipsum factis loquebatur Dominus, quando per Samuelem ungebatur Davidem? Verbis praeterea cunctissae videtur aut Samuel, aut propheta alius. — Argumentorum v. 4 sq. prolatorum legitima conclusio ea erat, ut David rex ab omnibus agnosceretur: quam conclusionem factis impletam ostendit v. 3 « *Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David foedus in Hebron coram Domino* ». Cf. 3, 13, 21. Foedus illud coram Domino percussum est, Iehova sc. in testem invocato (Sanct.). « *Unxeruntque David in regem super Israel* ». Cf. dicta ad 2, 4. — 1 Par. 11, 3, quae narratio ceterum verbotenus cum nostra coincidit, addit (hebr.): « *secundum verbum Domini per manum*

Samuelis »; quod verbum non habemus necesse supponere esse diversum ab eventu 1 Reg. 16, 12 sq. narrato. Duplici publica unctione (2, 4 atque h. l.) David duo regna, personali quam dicunt unione, obtinuit. Quae distinctio nunquam est oblitterata (cf. v. 5; 12, 8; 19, 40 sqq.; 20, 2; 3 Reg. 1, 35; 4, 20 etc.), et mortuo Salomone separatione regnorum est completa. v. 4 « *Filius triginta annorum erat David, cum regnare coepisset, et quadraginta annis regnavit* ». v. 3 « *In Hebron regnavit super Iudam septem annis et sex mensibus; in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Iudam* ». Haec repetuntur 3 Reg. 2, 11 et 1 Par. 29, 27, omissis tantum *sex mensibus*; unde videtur posse concludi, integrum Davidis regnum fuisse quadraginta annorum et sex mensium; nisi mavis defendere trigesimum tertium annum, Hierosolymis transactum, fuisse incompletum.

b. David regni sedem Hierosolymis figit 2 Reg. 5, 6-10.

Narratur David urbe Ierusalem potius ibidem regni sedem fixisse. v. 6 « *Et abiit rex et omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem ad Iebusaeum habitatorem terrae* », i. e. aborigenes terrae sanctae (Tir.).

Modo dicebatur David triginta annis in Ierusalem regnasse, unde concludit *Clair*, captam esse Ierusalem ipso eorum triginta annorum initio: conclusio probabilis, non tamen necessaria, nam expressio « *regnavit in Ierusalem* » potest etiam largiori aliquo sensu intelligi. Observa Davidis pietatem, ab ipso regni exordio adnitentis divinum implere mandatum, quo illae gentes proscribebantur; cum illa confer Sautis vafritem, contra Iebusaeos arce firmissa protectos nihil toto regno molientis, sed innoxios Gabaonitas adorantis, quorum incolumitati Iosue lege providerat. — *Iebusaei* originem ducebant a Chanaan, filio Cham, Gen. 10, 16. Eorum terra fuerat Abrahamo Gen. 15, 21 promissa, et promissio identidem iterata. Quorum rex Adonisedec, cum quatuor aliis regibus, a Iosue cap. 10 devictus et interemptus est. Urbs Iebus seu Ierusalem Ios. 18, 28 et Iud. 1, 21 Boniaminitis, Ios. 15, 63 Iudaeis tribuitur; simul narratur Hebraei non potuisse extirpare Iebusaeos, sed illis permixti regionem incoluisse. Ea urbs, quod fere aequali proportionem ad Iudaeos et ad Boniaminitas pertineret, aptissima erat, quo David sedem imperii ex Iuda et Israel coadunati conferret.

« *Dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos, dicentes: Non ingredietur David huc* ». *Chald. LXX* ultima haec distinctius construunt ut dicta a caecis et claudis, i. e. ab idolis. Ita tollitur ea, quae secus adesse videretur, repetitio; nihil quippe abundat in sententia huiusmodi: Non intrabis huc, nam dii te abigent, ne intres. — אים *Vulg. Chald. Syr.* vertunt nisi, ubi הסיך explicandum est, ut sit infinitivus cum suffixo, constructione secus haud usi-

tata. Sed *LXX* vertunt quia vel *sed*, et similiter *Ios.* : « sed depellent te » ; ubi formam verbalem explicat *Keil*, ut scribatur perfectum loco futuri tamquam pro re decreta, et singularis pro plurali, quod subiectum in plurali sequatur verbum. Sed *Welth.* pro הִשְׁתַּחֲוֶה punctat הִשְׁתַּחֲוֶה , quo altera haec difficultas eliminatur. Sensus ceteroquin planus est. Ubi David cum exercitu affuit in conspectu arcis, Iebusaei loci natura freti deditionem recusarunt, asserentes urbem per *caccos* et *claudos* defensum iri. Iam, qui hoc nomine veniant, ambiguntur.

Putabat *Ios.*, Iebusaeos reapse Iudibrii causa homines caecos et claudos armatos in summis moenibus constituisse. « Fortassis etiam », inquit *Mar.*, « quod Athenis in Prytaneo factum scimus, in ea arce alebantur milites bello inutiles facti, quos ad resistendum satis fore aiunt propter arcis munitionem ». *Ephraem* (1. 401, apud *Verc.*) veros adfuisse caecos negat, figuram sermonis interpretatur : tam praeculta esse moenia, ut, si qui requirerentur defensores, vel caeci et claudi ad id muneri sufficerent. Ita etiam *Sa.* : « Irrisio est, quasi dicat : Vel caeci et claudi arcem defendent ». Sed obstat v. 8 utique supponens, illos caecos et claudos revera, et non solum hypothetice, in moenibus adfuisse. Hinc alia interpretatio per caecos et claudos designari affirmat idola (*Petr. Comestor* « imagines ») a Iebusaeis in muro collocata, quorum auxilio fusi deditionem illi recusaverint. Ubi rursus duplex se offert ratio explicandi, quomodo idola nomine caecorum et claudorum designari poterint. *Burgensis* (apud *Amam.*), cui assentitur *Fürst*, idola sic metaphoricè designari ait, quod oculos habentes non viderint, et pedes habentes non ambulaverint, cf. *Ps.* 113 (113), 3. 7. Verum, cum talis sane in historica nostranarratione metaphora durior appareat, licebit supponere, habuisse Iebusaeos quaedam idola suae civitati exclusive propria, quorum nomina cum hebr. vocibus *Iffer* et *Piseach* quandam habuerint similitudinem, unde Hebraei ea iisdem vocibus ignominiose corrupta reddiderint.

v. 7 « *Cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David.* ». Cepit arcem, non solum inferiorem civitatem (*Ios.*) : quae hic v. 8 et 1 Par. v. 6 narrantur, in ipsa arcis expugnatione, seu ante eam, acta sunt. Arx Sion probabilius sita erat in colle urbis orientali, et ad meridiem loci, ubi postea aedificatum est templum. Primum h. l. in s. scriptura nominatur; nomen videtur derivatum a צֶדֶד , ergo *petra erecta, arx*; si tamen ex linguis semiticis derivandum sit, et non potius ex lingua borigenum prae-chanaanitarum. Nomen *civitatis David* venit pars solum urbis Ierusalem. 1 Par. 13, 3. 29 arca transportatur de Ierusalem in civitatem David. Filia Pharaonis 2 Par. 8, 11 domum habuit in Ierusalem, sed non in civitate David. Uterque locus distinguitur 2 Par. 3, 2. Sepeliri in Ierusalem 2 Par. 28, 27 non est idem atque sepeliri in civitate David.

v. 8 « *Proposuerat enim David in die illa praemium, qui percussisset Iebusaeum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset caecos et claudos, odientes animam David.* ». *Hebr.* *Dixerat autem David in die illa* : agi vero de *praemio* proponendo patet tum ex ipso versu, tum ex 1 Par. 11, 6. Utrumque locum idem Davidis respicere effatum perspicuum est, sed in neutro integrum habetur. 1 Par. 11, 6 : « Dixitque : Omnis, qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Ioab, filius Saruaie, et factus est princeps ». His nobis ostenditur ratio, cur Ioab, qui tantopere in nece Abner iram Davidis provocaverat, non solum punitione caruerit, sed etiam universi exercitus ex Iuda et Israel coacti imperium obtinuerit : novo sc. praeclare facto de republica meritis erat. Et aliud extemplo v. 8 subiicitur egregie factum : « Ioab autem reliqua urbis extruxit ». Qui potuit imperio exui vir, qui et in arcem munitissimam primum penetraverat, et magnam pecuniae summam publicis usibus impenderat? Noster scriptor, qui aliquando 3 Reg. 2, 5. 31 Davidi et Salomoni auctor futurus esset intermendi Ioab, quae ad Ioabi laudem conferunt, reticet, quod ea ad integritatem narrationis minime requirantur. Vicissim conditionem propositi a Davide praemii enucleatius commemorat, et ex ea occasionem sumit citandi proverbii (cf. 1 Reg. 10, 12; 19, 24), quod ipsius eventus, e quo natum erat, perenne quoddam exstabat monumentum. Scribit autem sententiam truncatam, sola conditione expressa, non ipso praemio : illa enim vel sola ad explanandum proverbium sufficiebat. Nota, quantopere hac narratione illustretur veritas, arcem Sion speciali Dei providentia captam, atque idolis veluti ereptam esse. — *Abstulisset* sola *Vulg.* habet, fortasse supplevit; *Syr.* etiam copulam omittit, quae in *Vulg.* ante eam vocem, in *Hebr.* ante *caccos* legitur. — Obscura est vox צֶדֶד , cuius radix non improbabilius significationem curvatis praefert, cum ad res curvas, uti canallem, fuscinulam, hamum, significandas descendat. Deficientibus nos lexicis, eo pressius versionibus adhaerere nos oportet. Vertunt igitur *LXX* pugionem, *Syr.*, clypeum; *Symm.* pinnaculum; fere identice *Chald.* munitionem; *Vulg.* domatum fistulas, quod etiam re fere coincidit (*Mar.*), cum eae in summo muro et prope pinnacula reperiantur (*Aq.* προδύραμῆς , aqua prorumpens? Cf. *Ps.* 42, 8). Ergo probabilissima versio manet pinnaculum seu summitas muri; et concordat radicalis significatio curvatis, cum in pinnaculis desinat murus ubique aequaliter prostare. — Porro quaeritur, quodnam sit obiectum verbi צֶדֶד , quod tangendi vel ferendi sensum praebet. Iud communius construitur cum צֶדֶד , ut h. l. esset vertendum *qui tetigerit pinnaculum*. Sed *Is.* 32, 11 idem verbum regit accus., et ita h. l. construxerunt *LXX* et *Aq.*, ut nobis (omissa cum *Syr.* copula) liceat vertere

qui tetigerit in pinnaculo caecos et claudos. Sensus igitur, secundum superius dicta, hic erit : Qui (primus) percusserit Iebusaeum, et ferierit in fastigio muri idola, ibidem superstitione collocata, praemium obtinebit. Sensus hic utique sat facilis est. — Manent explicanda verba *odientes animam David*. Tres lectiones textus hebr. offert, et duae praeterea ex versionibus eruuntur. אֲנִי hanc offert versionem : Quicumque etc., eum odio habet anima David; seu : Quicumque, dum contra Iebusaeum dimicat, in fastigio muri percussit caecum vel claudum, eum David, caecorum tenerrime miseratus, odio habet. אֲנִי , si copulam a Syr. neglectam inseras : Quicumque percusserit Iebusaeum et attingerit fastigium muri, caeci et claudi odio habebunt animam David. Vel omissa copula : Qui percusserit Iebusaeum, et ferierit in fastigio caecos et claudos, qui oderunt animam David — sed durius suppletur אֲנִי , *exosos animae David* : haec expressio optime applicatur caecis illis, maxime si supponantur esse idola; suffragantur autem huic lectioni puncta a masorethis אֲנִי אֲנִי subscripta. *Vulg.*, LXX, Syr. legebant אֲנִי , odientes animam David, qui sensus etiam quadrat, licet non idem ei insit vigor ac praecedenti. *Chald.* tandem אֲנִי : caecos et claudos odio habet anima David. Planissima, uti innumus, ea versio est, qua *exosos animae David* de caecis et claudis praedicatur. Unde tota phrasis (cf. *Bochart*, Phaleg I. IV. c. 36) haec est : qui percusserit Iebusaeum (primus), et ferierit in pinnaculo caecos et claudos (i. e. idola), exosos animae David, ille — hoc cum *Ps. Hier. Vatabl.* supple ex 1 Par. 11, 6 — erit princeps et dux.

« Idcirco dicitur in proverbio : Caecus et claudus non intrabunt in templum ». *Domum Dei* etiam scribit LXX, sed *Hebr. Chald. Syr.* simpliciter *domum*. Proverbium hoc certe natum est captae Sion tempore, eo autem tempore templum non exstabat. Ergo sensus potius est : Non redibunt domum, veluti emortui neque ulli iam usui futuri, quod optime dicitur de idolis ex fastigio moenium ignominiose praecipitatis. Similiter nos ironice dicimus : Iste homo non iterum surget. Ceterum, si attendas idolorum quoque templa vocari eorum domus (cf. 1 Reg. 5, 2; 3 Reg. 16, 32 etc.), poteris etiam cum *Vulg.* vocem *templum* retinere.

Perperam *Then.*, volens ostendere caecos et claudos prohibitos fuisse ingressu templi Hierosolymitani, provocat ad Act. 3, 2; Io. 8, 59; 9, 1. Quod claudus ille quotidie poneretur ad Portam Speciosam, non ideo fiebat, quod claudi templo excluderentur, sed quod ibi copiosior fuerit eleemosyna; et quod Iesus templo egressus offendit caecum natum, neque probat caecos templo fuisse exclusos. Imo *Muth.* 21, 14 explicite affirmatur : « Accesserunt ad eum caeci et claudi in templo ». — *Vatabl.* putat *domum* intelligi arcem Sion. Sed in arce postmodum erat domus David, quam 9, 7 ingrediebatur Miphiboseth claudus; neque sufficit cum *Malr.* dicere:

« Exceptus fuit ab hac lege Miphiboseth, validiori alia lege pietatis et gratitudinis ». — Non improbabiler suggerit idem *Malr.*, proverbium postea in omne genus exorarum personarum esse extensum.

v. 9 « *Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David, et aedificavit per gyrum a Mello, et intrinsecus* ». Locus parallelus 1 Par. 11, 8 habet : « Aedificavit urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum ». Etiam nostro loco pro אֲנִי legebant LXX Syr. אֲנִי , et *aedificavit eam*, sc. civitatem iam existentem munitionibus cinxit *per gyrum* seu *in circuitu*. Id autem praestitit a Mello usque ad gyrum, quae voces factum quidem expriment idem atque *vox in circuitu*, simul tamen etiam ordinem executionis : orsus est David munire arcem a Mello seu turri, quae unum erat peripheriae punctum, et inde perrexit per totam peripheriam. Iam vox אֲנִי et *intrinsecus* (*Vulg. Chald. Syr.*) ad eundem sensum potest revocari : aedificavit a Mello et intrinsecus, semper arcis peripheriam muniens, non vero ad exteriora procedens. Posset tamen vox etiam ita explicari, ut non sit idem atque *et usque ad gyrum* (1 Par.) : circummuniit sc. urbem, incipiens a Mello, et insuper etiam intra urbem aliqua aedificia construxit.

Mello non est nomen proprium, nam et in urbe Sichein erat Mello quoddam *Ind.* 9, 6, 20. Pars ea erat quaedam fortificationum, distincta tamen a palatio, et a muro exteriori et interiori 3 Reg. 9, 15, 24; 2 Par. 32, 5; non merus agger, cum *Ind.* 9, 6, 20 de eius incolis sermo sit. *Chald.* בֵּיתֵי מֶלֶךְ *collem* significat. Mello in Sichein ea videtur structura fuisse, quae *Ind.* 9, 16. בֵּיתֵי מֶלֶךְ *tarris* appellatur. Certe non est forum, dictum Mello a « plenitudine populi confluentis » (*Mar.*), quam expositionem *Malr.* asserit esse quorundam Hebraeorum.

v. 10 « *Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo* ». Cf. quae ad 1 Reg. 1, 3 de hoc Dei titulo diximus, et adverte, quam apposite hoc titulo Deus tamquam amplificator regni Davidici designetur. *Hebr. Et proficiebat David proficiens et crescens*, cf. 3, 1.

c. Davidis palatium, uxores, filii recensentur 2 Reg. 5, 11-16.

v. 11 « *Misit quoque Hiram, rex Tyri, nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes; et aedificaverunt domum David* ». Nomen Hiram variis antiquitatis documentis genuinum demonstratur; gessit illud etiam rex aliquis Tyri tempore Teglathphalasar, cf. III. Rawlinson 9, 51. Hiram, coaevus David, idem quoque amicum se exhibuit Salomoni 3 Reg. 5, 1 (15); 2 Par. 2, 3 (2); et adhuc superstes erat regni Salomonis anno vigesimo quarto,

cf. 3 Reg. 6, 1; 2 Par. 3, 2 cum 3 Reg. 9, 10 sqq.; 2 Par. 8, 1. Secundum *Menandrum* VIII. 3. 3 vixit Hiram quinquaginta tribus, regnavit triginta quatuor annis: ergo regnavit decem ultimis Davidis annis. Sed haec Menandri asserta accurata vix esse possunt; nam nonnisi regnante Hiram aedificavit domum cedrinam David, nonnisi hac aedificata cogitavit de templo exstruendo, cum Bethsabee adulterium commisit, Salomonem genuit: ergo Salomo adhuc infans regnum esset exorsus, quod admitti nequit.

v. 12 « *Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius* » — LXX Syr. h. l., uti ad 1 Par. 14, 2 omnes, quod exaltatum esset regnum eius — « super (Hebr. propter) populum suum Israel ».

Quaerit hic versus sitne conclusio praecedentium, an introductio sequentium. Alterum non videtur; nam cum ea, quae v. 13 asseritur, uxorum multiplicatio non sit actus Deo specialiter placens, non perspicitur, quomodo ad illam David impulsus fuerit ipsa divinae electionis conscientia (v. 12). Nolim tamen cum *Keil* Davidem peccati contra legem Deut. 17, 17 de uxoribus regis non multiplicandis statutam incusare. Ea lex prohibebat multas simul haberi uxores; sed ex iis, quas David per quadraginta annos duxit, certe plures maturius obierunt, aliae serius successerunt. Est ergo noster versus conclusio ex praecedentibus derivata, non ex sola Hiram amicitia, nam haec nimis sero obtinuit, sed ex omnibus successive divinis beneficiis, ex quibus in dies David de propria electione certior fiebat.

v. 13 « *Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Ierusalem; postquam venerat de Hebron* ». De Ierusalem legunt h. l. omnes, dum 1. Par. 14, 3 Hebr. Vulg. LXX legunt in Ierusalem. Sine dubio ea matrimonia in Ierusalem celebrata sunt. Sed nequaquam necesse est corrigere in pro de. Mulieres illae sumptae sunt de Ierusalem, et ita connubia illa effecerunt, ut rex pluribus urbis familiis affinitate coniungeretur, atque ita ipsa urbs ei tanto magis esset devota. Additur autem postquam venerat de Hebron: haec fieri coeperunt, non post aedificatam v. 11 domum cedrinam, sed inde ab eo tempore, quo Hierosolymam Hebrone translata est sedes regni. Ergo in nostra narratione ordo rerum magis quam temporum servari videtur. « *Natique sunt David et alii filii et filiae* »; v. 14 « *et haec nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem: Sanua et Sobab et Nathan et Salomon* »; — hi quatuor, filii Bethsabee 1 Par. 3, 5, ponuntur primo loco, non ideo necessario quod natu maximi fuerint, sed quod eorum mater honore reliquas uxores praecesserit. Enumerantur non ordine dignitatis, nisi forte dixeris, Salomonem tamquam dignissimum ultimo loco poni; sed, cum ipse reapse

junior regno potitus sit (1 Par. 22, 5), valde probabile fit, eam enumerationem institui ordine aetatis. Nathan utique ille est, qui Luc. 3, 31 inter proavos Messiae recensetur (cf. Zach. 13, 12), — v. 13 « *et Iebahar et Elisua et Nepheg* », v. 16. « *et Iaphia et Elisama et Elioda et Eliphaleth* ».

Nomen Elioda primitus erat Baaliada 1 Par. 14, 7; postea Baal eliminatum est. Inter Elisua et Nepheg inseruntur 1 Par. 3, 7 et 14, 5 sq. aliter Eliphaleth et Noga; et, cum 1 Par. 3, 8 dicantur filii David in Ierusalem non ex Bethsabee nati fuisse novem, videntur illa duo nomina genuina esse. Tamen h. l. ne a *Los*, quidem lecta esse, infero ex eius enumeratione, in qua, loco alicuius nominis deperditi, post *Apwoz* inseritur *Eywoz*, quae duo nomina uni Samua respondet, et ita *undenarius* textus hebr. numerus servatur. Cur vero illa duo nomina alterius Eliphaleth et Nogae h. l. non recensentur? Fortasse viri illi iuvenes obiere (*Kimchi*): unde coniecit *Keil*, defuncti Eliphaleth nomen alii postmodum fratri, qui ultimus recensetur, inditum esse. — Porro LXX h. l., post enumerata quae in Hebr. exstant nomina, totam scriem, sed nonnihil defiguratam, tredecim nominum ex integro subiecit, qualis 1 Par. 3 et 14 legitur, mendose utique. — Ex filiis David duo nomen idem habent, atque vir quidam « *ex triginta fortissimis David* », sc. uterque Eliphaleth, cf. 23, 34. Samua idem habet nomen, atque unus e fratribus David (שׂוּבָא 1 Par. 20, 7 et *keri* 2 Reg. 21, 21 contra *kethib* שׂוּבָא; 1 Reg. 16, 9 et 17, 13 שׂוּבָא), cuius filius Ionathan fortibus accensetur. Sed est etiam 23, 11 Semma (שׂוּבָא), filius Age de Arari, heros David; et item 23, 25 Semma de Harodi et 23, 33 Semma de Orori, qui 1 Par. 11, 27 Sammoth appellatur; qui tres forte unus et idem sunt. Tandem Nathan nomen gerit ielyti prophetae; vel conferri potest Nathan de Soba (23, 36; cf. 1 Par. 11, 38), pater Igaal heros. Ex quibus probabile efficitur, Davidem aliquibus filiis nomina herorum vel prophetae honoris causa indidisse. Ceterum, quod ad 1 Reg. 16 notavimus, Davidem suos fratres studiose in obscuritate cohibuisse, idem quoad suos fratres observavit Salomon.

d. Excutitur iugum Philistaeorum 2 Reg. 5, 17-25.

Narratio stabiliti regni Davidici exigit, ut doceamur, quomodo David Hebraeos a iugo Philistaeorum liberaverit. Pius hi soli regno septentrionali infensi fuerant, tamquam continuationi regni Saul; quando vero David illud quoque regnum obtinuit, in ipsum conversum est eorum odium. v. 17 « *Audierunt ergo Philisthim, quod uncrissent David in regem super Israel, et ascenderunt universi, ut quaererent David; quod cum audisset David, descendit in praesidium* »; v. 18 « *Philisthim autem venientes diffusi sunt in valle Rephaim* ».

יִדְּ אֵל בַּעֲדָה secundum contextum v. 9 intelligendum esset de arce Sion (*Mar.*); item secundum v. 18, ubi Philisthael narratur consedisso in valle Rephaim, i. e. haud procul a Sion. Sed in arcem Sion, locum late ornamentum, nunquam descenditur. *Fatahl* putat intelligi speluncam Odollam 1 Reg. 22, 1; sed tum הַבְּעִידָה mutandum esset in הַבְּעִירָה, et insuper nomen proprium certissime scribendum erat. *Keil* recurrit

ad locum munitionum deserti Ziph, qui 1 Reg. 23, 14, 19; 24, 1. 23 כִּזְיָהוּ vel כִּזְיָהוּ vocatur; sed desideratur nomen proprium. Difficultatem sensit auctor 1 Par. 14, 8, rem circumscribens יִצְחָק לַפְּנֵיהֶם « egressus est obviam eis »; sane ipse minime ita intelligebat locum, ut David in arce Sion hostes expectasset. Curgeminam lectionem non statuamus fuisse הַבְּעֻדָה בְּכֵן הַבְּעֻדָה, descendit de arce? Aut dicamus ignotam nobis aliquam munitionem intelligi. — Ille et v. 22 pro *diffusi sunt legitur וַיִּבְטְרוּ*, 1 Par. 14, 9. 13 in loco alioquin verbotenus identico legitur וַיִּבְטְרוּ. Verba tam quoad sensum quam quoad consonantes fere coincidunt. Alteratrum tantum legebatur in documento, ex quo uterque s. auctor hanc narrationem. Nihil vetat, hic aut illic libroriorum mendam concedi: sed num s. auctoribus fontes ita serviliter exscribendi erant, ut non licuerit pro una voce alteram, et sensu et forma fere eandem substituere? — *Vallis Raphaim* positio clare describitur Ios. 15, 8; 18, 16. Vallis Ben Hinnom cingebat urbem Jerusalem a meridie, et partim ab occidente. Iam in extremitate occidentali eius vallis erat mons, qui idem erat in extremitate septentrionali vallis Raphaim. Videtur haec igitur fuisse ea, quae nunc nomine Wady el Werd notatur, dirigiturque a Jerusalem versus Bitûr. Raphaim nomen erat gentis perantiquae, quae principalis sedes occupaverat trans Iordanem, cuius tamen etiam disiecta membra eae Iordanem reperiebantur, Gen. 15, 20; Ios. 17, 15; 2 Reg. 21, 16 sqq.; 1 Par. 20, 4 sqq. Iam ex ea vallis positione confirmatur, כִּזְיָהוּ v. 17 intelligi arcem Sion: sane in hac eum *quaesituri* erant Philisthaei, et ad hanc recta ducit vallis Raphaim profectos a Gaza vel a Geth.

v. 19 « *Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthim? et si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthim in manu tua.* ». v. 20 « *Venit ergo David in Baal Pharasim, et percussit eos ibi, et dixit: Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquae. Propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim.* ». Locus nomen fortasse iam habuit ante, sed nova nunc nomini significato indita est. Situs utique erat ille locus in valle Raphaim; cuius meminit Is. 28, 21 sub appellatione montis Pharasim, exosum eliminans vocabulum Baal. Perperam vero Clair ex eodem textu infert, fuisse Baal Pharasim prope Gabaa; de duobus diversis locis et eventibus loquitur propheta.

Hebr. sicut disruptio aquarum. Quod minus commode explicat Sanct.: sicut diffunduntur, liquefiunt aquae; nam פָּרַץ violentam perruptionem sonat. Ergo verius Mar.: « sicut aquae rumpunt obiecta, sic ipse hostes rupit ». Non ita placet explicatio a Malv. citata, passive expressionem intelligens: tam facile, ac rumpuntur aquae. Quid enim est aquas rumpi, et num id tam facile fit?

v. 21 « *Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quae tulit David et viri eius.* ».

Nota assonantiam inter עֹבֵב et עֹבֵב, qua suadet, nequaquam עֹבֵבִים ex אֱלֹהִים 1 Par. 14, 12 corruptum esse, uti vult Wellh.; sed neque ibi supponenda est corruptio. Equid non potuit alteruter auctor, dum in fontibus idola legebat, scribere *deos*, aut vice versa? — 1 Par. 14, 12 et dixit David, ut comburerent igne; Chald. etiam

h. l. et *combussit eos David et viri eius*. Fontes certe narrabant destructionem idolorum, quae Deut. 7, 5. 25 praecipitur, eandemque certe uterque auctor exprimere voluit. Sed ea reapse, licet indeterminatus, exprimitur verbis *tulit ea David*, haec eadem fortasse in fontibus legebantur, auctor vero 1 Par. rem clarius expressit.

Haec prima clade nondum penitus fracta erat Philisthaeorum potentia. Utrum alteram expeditionem brevi post primam susceperint, utrum fortasse illae pugnae, quae 21, 13 sqq. et 23, 9 sqq. narrantur, intercesserint, ignoramus. v. 22 « *Et addiderunt adhuc Philisthim, ut ascenderent, et diffusi sunt in valle Raphaim.* ». v. 23 « *Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthaeos, et tradas eos in manus meas?* » Ad verba *Si ascendam etc.* notat Vere.: « Haec verba ex superiori v. 19 mutuata videntur »; desunt enim apud reliquos omnes tam h. l. quam 1 Par. 14, 14. « *Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso* » i. e. ab ante, e regione « *pyrorum* », quarum densae frondes adventantium copiarum aspectum hostibus facile poterant eripere (*De Muis*).

Contra eos לְקִרְיָתָם legebat Vulg. LXX, quod excidit ex Hebr.; advertit enim Wellh., eam lectionem oppositione sequentis *post tergum eorum* (אֶחָרֵיהֶם) confirmari. Pro qua LXX h. l., uti 1 Par. 14, 14 omnes, videntur legisse כַּמְעִלָּה, de *super ipsi*, i. e. ex loco superiore: aliqui codices hebr. בְּאֶחָרֵיהֶם. — *Pyros* vertunt Vulg., et LXX ad 1 Par. 14, 14, moros *Rabbini*, arbores *Chald.*: *Syr.* retinet vocem hebr. בְּנֵי־אֵשׁ; Ges., *Winer* non improbabilius censent intelligi arbustum, quod apud Arabes « *daka* » audit, simile balsamo.

v. 24 « *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis proelium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percussat castra Philisthim.* ». *Tunc inibis proelium* (Vulg. LXX) potius correspondet textui 1 Par. 14, 15 *egredieris ad proelium*. Hebr. תִּהְיֶה, quod *Chald. Syr.* vertunt *confortaberis*; melius fortasse *propera*, cf. Ges. et significationem radicis arabicae. — Sed quid est illa *vox gradationis* (Vulg. *Syr.*)? צֶדֶד motionem significat, cf. Gen. 49, 22; *Chald. sonitus*, *Syr.* 1 Par. 14, 15 *strepitus*, LXX σασσεισμός, συγγλισμός. Videtur intelligi illa commotio et consequens sonitus, quem ventus in cacuminibus arborum excitat. Ita *Malv.*, subiciens: « Prae quo (ramorum strepitu) Philisthaei non poterunt percipere strepitum exercitus Davidis adventantis ». Alluditer ad factum omnino naturale; neque necesse est, illud h. l. accipere ut supernaturale signum adfuturi divini auxilii, sed simpliciter tanquam signum temporis, quo sit ad pugnam properandum: quo sc. tempore, sive matutino sive vespertino, aura pervadit arbores, eo prosiliendum ad certamen. Miraculum affinxit *Ios.* affirmans, « silvam nullo perlante vento motum iri ». v. 25 « *Fecit itaque David, sicut praeceperat ei Dominus, et percussit Philisthim de Gabaa, usque*

dum venias Gezer ». Gezer, inter Bethoron et mare sita Ios. 16, 3, usque ad Salomonis tempora 1 Par. 20, 4 a Philisthaeis retenta; cuius reliquias *Ganneau* 1873 inter Eron et el Kulab reperit, in loco cui nomen Tell el Djezer. Pro Gabaa LXX h. l., et ad 1 Par. 14, 16 omnes, legunt Gabaon. Si legas Gabaa, poteris intelligere Gabaam Saulis; sed etiam, et rectius, cum *Sa* Gabaa Iudae (Ios. 15, 57), sitam, uti videtur, in loco qui nunc Ieba appellatur, medio fere itinere inter Bethlehem et Thamnam (nunc Tibnah), sed nonnihil versus meridiem. Thamnam iam Samsonis tempore (Iud. 14, 1. 5) Philisthaeorum erat. Versus noster enuntiare videtur, non directionem, qua Philisthaei ex valle Raphaim auferunt, sed novos limites, quibus David Philisthaeorum imperium circumscripsit: inde ab illa victoria, Davidis regnum usque ad lineam a Gabaa ad Gezer ductam protendebatur.

e. David arcam in Sion tradit 2 Reg. 6, 1-23.

ARG. — Regno firmiter stabilito et ab hostium incursionibus defenso, nihil pius rex antiquus habuit, quam ut arcam, oblivioni quadamtenus in Cariathiarim mandatam, reduceret eique in regni sede Sione permanentem, quam Moses praedixerat, sedem assignaret. Sed Oza, quod arcam in itinere irreverenter attigisset, percusso, arcam primum in domo Obbedom collocavit, aliquanto post inde solemniter Sionem transferendam. Davidem ante arcam saltantem despicit Michol, sed iustas superbiae poenas dat. Pulchre *Rhab.*: « In historia beati regis et prophetae David, qui arcam Dei adduxisse narratur, humilitas approbata, superbia damnata, et temeritas vindicata monstratur ». Volebat autem David arcam Hierosolymam transferre, « ut civitatem illam, quam Israelitici imperii caput esse volebat, illo pretioso nobilitaret ornamento, et stabili propugnaculo muniret » (*Sanct.*).

Cap. VI v. 4 « Congregavit autem rursus David omnes electos ex Israel triginta millia ».

LXX 70,000, cf. 1 Reg. 11, 8. — בְּתָרִי certe significat *electus*, unde secundario derivatur significatio *intervis* (cf. Dent. 32, 25 etc.), ad quam tamen h. l. cum LXX non est necesse recurrere. — *Rursus* videtur referri ad 5, 6; cf. 1 Par. 11, 6, ubi narratur Ioab in expugnatione Sionis factus esse dux, atque super Israel, nam dux Iuda iam erat; ergo congregatus ibi aderat Israel. *Movers* refert ad 5, 1. 3, obliivente *Then.*, ibi non Davidem populum, sed ipsum se populum congregasse, ut Davidem regem saluaret; quae tamen *Themii* exceptio non est omnino peremptoria. Fortasse, ex mente s. scriptoris, vox *rursus* cum ad 5, 6, tum ad 5, 1. 3 refertur. — *Dubitatur* *Them.*, Davidem cum 30,000 arcam accessisse; sed factum confirmat 1 Par. 13, 5, et viri illi tam honoris quam protectionis causa adhibebantur. *Themii* versio: « Et

augmentavit David electorum numerum, ut essent 30 000 », et textui repugnat (quomodo enim potest numerus *omnium* electorum augmentari?), et versionibus, et Iudaeorum traditioni, a v. 1 et non a v. 2 novam haphariam incipit: illa enim aucti exercitus mentio potius ad priorem expeditionum bellicarum narrationem pertinet.

v. 2 « *Surrexitque David et abiit et universus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam* ».

Ut adducerent: omnes textus, excepta *Vulg.*, addunt *inde*; id igitur pro genuino recipiendum. Verum hoc adverbium locale supponit praecedentem aliquam loci indicationem, quae in textu iam non exstat. Adsunt tamen vestigia. Nam LXX habent *de principibus Iuda, in ascensione*, i. e. בְּעֵלָה; *Syr. de viris Iuda in Gabaa* seu in colle, quod item in בעלה resolvitur. Aliunde Ios. 15, 9 docemur, Cariathiarim, ubi arca reapse servabatur, nomen fuisse בעלי Baala; et in loco secus verbotenus identico 1 Par. 13, 6 habetur: « Et ascendit David et omnis vir Israel *Baalim* בְּעֵלְתָּה, i. e. Cariathiarim, quae pertinet ad Iuda ». Hinc vix dubitare licet pro בְּעֵלְתָּה primus lectum esse בְּעֵלְתָּה, fortasse praefixo ב vel ל vel א. Imo, quod paucis post verbis habetur et omnino abundat secundo repetitum שָׁב, fortasse vestigium est pronominis אֲשֶׁר (cf. 1 Par. 13, 6), ut lectio fuerit לְיְהוָה אֲשֶׁר לְיְהוָה. Hanc restitutionem, quoad substantiam, iam habent *Houb.*, *Vatabl.*, *Calm.* — *Super quam invocatum est etc*; eundem in fontibus textum legebat 1 Par., quem ita reddidit: « arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, ubi invocatum est nomen eius ». Nostrum *super eam* utique idem est atque *super quam*. Nomen Domini super arcam, intuitu arcae invocatur, vel potius vocatur, quatenus arca ab eius nomine nomen ipsa nascitur « arca Domini »; hunc esse sensum expressionis ostendit Gen. 48, 16; 2 Par. 7, 14 collatum cum Num. 6, 27; Is. 4, 1 etc.

« *Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum* », uti fecerant Philisthaei 1 Reg. 6, 7, « *tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa* » — *verte in colle*, uti 1 Reg. 7, 1 —; « *Oza autem et Ahio, filii Abinadab, minabant plaustrum novum* ». *Qui erat in Gabaa*: verius *quae*, quod quidem pauci codices habent (*Ver.*), describitur enim domus situs, cf. 1 Reg. 7, 1; de Abinadab ipso nihil tota haec narratio refert, ita ut coniciat *Serar.*, eum et Eleazarum filium tum mortuum fuisse.

Ozae nomen, עֹזָה vel עֹזָה, non est infrequens: tres eius nominis viros novimus 1 Par. 6, 29 (14); 8, 7; 1 Esdr. 2, 49, et ab eius nominis viro fortasse appellatus est hortus 4 Reg. 21, 18. Alios quoque Ahio novimus duos, 1 Par. 8, 14 unum, et 8, 31 et 9, 37 alterum. Vertant quidem Ahio LXX h. l. et 1 Par. 13, et *Syr.* 1 Par. 13 *fratres eius*; et verbum hebr. v. 4 est in singulari, *Ahio praecedebat*. *Vulg.* 1 Par. 13, 7 vertit *frater eius*, sed melius nomen proprium retinetur, cum illud etiam alias recurrit.

v. 4 « *Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui* » (quae) « *erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio praecedebat arcam* ». Pro *custodiens* *Hebr. Chald* habent cum עִמָּךְ, quod a contextu abhorret. *Quam enim*

Verc. suggerit explicationem : « qui erat in Gabaa cum arca Dei », primum ponenda erant haec verba v. 3 ; dein superflua sunt, cum non potuerit Abinadab non esse cum arca, quamdiu illa in domo eius erat ; tandem potius arca dicenda erat esse cum Abinadab, ipsius enim in domo servabatur. LXX sola verba habent *Ahio praecedebat arcam*, reliqua parte versus omissa. Reapse videtur subesse alicuius librarii error, qui cum alterum *plaustrum* v. 3 scripsisset, ad primum inadvertenter resiliens, iteraverit voces חרשה וישארו כבית אהובתה אשר בגבעה. Genuinus ergo textus sic erat : Minabant plaustrum cum arca Dei, et Ahio praecedebat arcam. Imo, cum ita quoque על a communi usu abhorreat, suggerit *Houb.* excidisse vocem יצוה, ut textus fuerit : Minabant plaustrum, et Oza (ibat) cum arca Dei, Ahio vero praecedebat arcam. Quae quidem textus restitutio nulla lectione firmatur.—v. 5 « *David autem et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis* ». *Ludebant*, cf. 2, 14 ; 1 Reg. 18, 7 ; *Chald. laudabant* ; unica voce totum sacrum tubilum exprimitur.

In omnibus lignis fabrefactis, עצי ברזים, in lignis cypressinis, quod omnes h. l. versiones legebant ; unde *Ges.* putat intelligi instrumenta musica ex eiusmodi ligno confecta. Sed cum 1 Par. 13, 8 idem fere consonantes legantur, sensu tamen longo aptiori, cumque evidens sit, voluisse h. l. nostrum auctorem eundem ipsum textum reproducere, quem auctor 1 Par. reproduxit, hinc uti ibi legatur עו ובישורים, omnibus viribus, et in canticis (*Lud. Capell.*). Ita primum lectum esse confirmat lectio LXX ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς ἐψάλη. — Et citharis : כנוריה cf. 1 Reg. 10, 5 ; 16, 16. — Et lyris : נבלים, cf. 1 Reg. 10, 5, quod instrumentum *Vulg.* modo vertit *nablum* (1 Par. 15, 16, 20, 28 ; 1 Mach. 13, 51), modo *psalterium* (1 Par. 13, 8 ; 16, 5 ; 25, 1, 6 ; 1 Reg. 10, 5 etc.), modo *lyram* (3 Reg. 10, 12 ; Is. 5, 12 ; Am. 5, 23). Sed *lyra* aliud quandoque instrumentum significat, cum 1 Par. 15, 16 cum *nablis*, 16, 5 cum *psalteriis* copuletur. — Et tympanis : גזע unde *hispan.* « adufe », cf. 1 Reg. 10, 5 ; 18, 6. — Et sistris : בוכנענים : quater, sicut αὐτὸς ἠΐσα a ἄσισ (*Ges.*, *Fürst.*). *Chald.* רביעין (cf. *Syr.*) significat « instrumenta musica, e tenuibus quadratisque laminis conflata, quae una cum campanulis nominantur » (*Levy*, *Chald.* *Woerterbuch*). Vox *sistrum* in *Vulg.* secus solum usuevit 1 Reg. 18, 6, ubi correspondet hebr. שלשים. Utraque vox hebr. est אָפָסֶלֶט גַּבְעוֹתָיו. 1 Par. 13, 8 pro בוכנענים habetur חצרות, *tubae* (cf. Os. 5, 8 ; 4 Reg. 11, 14), sed id non probat voces esse synonymas. — Et cymbalis : צלצלים, quod Ps. 150, 5 cum *trium* copulatur, quod penetrantem sonum exprimit et secus de tubis (*Lev.* 25, 9 ; Num. 31, 6) praedicatur. 1 Par. 13, 8 habetur בתעלותים, cf. 2 Esdr. 12, 27 ; 1 Esdr. 3, 10, quod ultimo loco cum solis tubis psalmodum cantum comitatur. Ad haec instrumenta notat *Ios.* (*Antiq.* VII. 12, 3) : « *Cinyra*, decem intensa chordis, plectro percutitur ; *nablum*, duodecim sonos habens, digitis pulsatur ; *cymbala* erant aerea, lata et magna ».

v. 6 « *Postquam autem venerunt ad arcam Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves et declinaverunt eam* ». Nachon non est adiectivum firmam, stabilitam (*Chald.*

Syr.), secus requiretetur articulus ; sed est nomen proprium. 1 Par. 13, 9 כיון.—Verba et declinaverunt eam non videntur esse S. Hieronymi auctoris (*Verc.*). Ea tamen *Hebr.* כי שכבו הבקר felicius reddunt, quam verba quoniam calcitrabant boves : שוכב enim habet significationem mittendi, ergo pellendi, declinandi, dum significatio calcitrandi demonstrari nequit. 1 Par. 13, 9 *Vulg.* vertit : « bos quippe lascivens paululum inclinaverat eam ». v. 7 « *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate ; qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei* ».

על השל (*super temeritate*) est אָפָסֶלֶט גַּבְעוֹתָיו, cui *Vulg. Chald.* significationem tribunt, quae in chald. et syr. idiomate voci competit, sed respectu erroris inadvertenter admissi, in *Hebr.* autem demonstrari nequit. *Syr.* inserit simpliciter verba, quae in loco parallelo 1 Par. 13, 10 habentur : על אשר שלח ידו על הארון ; « eo quod tetigisset arcam ». Verum, quominus cum *Houb.* על השל accipiamus tanquam eius sententiae defiguratae residuum, prohibet splendendorum multitudo. Melius cum *Ew.* recurrimus ad chald. בכך שילוח, ex *improviso*.

Cur Oza percussus fuerit, audi *Theodoret.* : « Non luit poenas propter temeritatem, inclinato enim plastro manum applicare oportebat : sed alterius delicti luit poenas. Nam cum Deus iussisset, ut sacerdotes arcam humeris ferrent, praeter legem eam vixerunt plastro. Hoc autem eos fefellit, quod ea sic emissa a Philisthaeis nemini nocuisset. Oportuerat autem attendere, neque legem novisse Philisthaeos, neque sacerdotes, qui eam secundum legem portarent, praesto fuisse ». Ubi recole, quod ad 1 Reg. 7, 1 monuimus, nulla ratione probari posse, Oza fuisse levitam, immo probabilius eum fuisse Chananaeum, utpote ex Cariathiarim oriundum. Quod autem obicit *Sanct.*, ob crimen arcae non humeris sublatae sed plastro vectae, non unum sed plurimos fuisse plectendos, Davidem sc. et sacerdotes, qui in eum modum vehendae arcae conspirassent, momenti non est. Num crimini vertemus divinae providentiae unius pro multis inflictam punitionem ? annon potuit Oza sacrilegi consilii auctor fuisse ? num corporis mors necessario simul aeternam damnationem significat ? Ceterum, cum dicitur 1 Par. 13, 10 interemptus esse Oza, « eo quod tetigisset arcam », poteris etiam cum *Duguet* affirmare, ipsum tactum nefas fuisse, non in se, nam ex adiuncto inclinatae arcae erat fere necessarius, sed in causa arcae humeris non sublatae. Quam irreverentiam tamdiu patienter tulit Deus, quoad ea irreverenti contactu, utut is in se necessarius esset, cumlaretur.

v. 8 « *Constristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam ; et vocatum est nomen loci illius Percussio Ozae usque in diem hanc* ». Cf. appellationem 5, 20.—*Hebr.* eandem h. l., quam v. 7, vocem habet ; unde LXX *Chald. Syr.* verterunt *iratus est*. Notandum חרה א לXX

quandoque verti λαρεῖθαι (cf. Gen. 4, 5; Ion. 4, 4), et etiam synonymum נָרַךְ significare cum *irasci* (2 Par. 26, 19), tum *tristari* (Gen. 40, 6). v. 9 « *Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad mearca Domini?* » Praegnantius Syr. h. l., et ad 1 Par. 13, 12 omnes: *Quomodo introducam?* Quisat purus ero, ideoque illaesus potero propead arcam accedere? Vel cum *Malv.*: Quomodo introducam arcam in Sion, cum hoc portento Deus declaret, non esse id suae voluntatis? Sed num David non ante exquisierat Dei voluntatem per prophetas? v. 10 « *Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David, sed divertit eam in domum Obededom Gethaei* ». In eam prae aliis domum delata esse videtur arca ideo, quod omnium proxima esset ei loco, ubi percussus est Oza; fortasse etiam ut, si quae praeterea ex arcae praesentia accideret calamitas, ea non Israelitam sed alienigenam affligeret, cf. v. 11.

Hic et 1 Par. LXX virum vocant Obed Adar: id aut errori tribuendum; aut, si gentium admittatur, dicendum, sic nomen idoli Adar ex nominibus propriis in s. scriptura eliminari, sicuti alias nomen Baal. *Ios.* eundem hunc Obedom videtur habere, atque levitam et cantorem, filium Iduthum, 1 Par. 15, 18. 21. 24; 16, 5. 38; 26, 4. 8. 15; hincque *Vatib.* fingit peregrinatum illum esse inter Gethaeos, ideoque dictum Gethaeum. Gratuita suppositio. Nomen Obedom haud infrequens erat: alter levita ita vocatur 1 Par. 16, 38, thesaurarius regis Amasiae 2 Par. 25, 24. — Ubi fuerit domus Obedom, definire certo aequimus. Si tamen advertas, semper agi de translatione arcae in civitatem David, i. e. arcam Sion (v. 10. 12. 16), et translationem inde factam esse, uti narratio suadet, unico die, non improbabiliiter asseres, domum Obedom fuisse aut in ipsa urbe Ierusalem, aut certe haud procul ab ea. — Gethaeus dicebatur Obedom, sive ab urbe Philisthaica Geth, sive a Gethaim seu Geth Remmon (*Malv.*, cf. dicta ad 4, 3).

v. 11 « *Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethaei tribus mensibus, et benedixit Dominus Obededom et omnem domum eius* »; puta ea gregum multiplicatione et segetum ubertate, quae trimestri spatio concedi potuit. v. 12 « *Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus Obededom et omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo David* » — 1 Par. 13, 25 addit: « *et omnes maiores natu Israel et tribuni* » — « *et adduxit arcam Dei de domo Obedom in civitatem David cum gaudio* ». Quae sequuntur, ex *Itala* in *Vulg.* transiere (*Ver.*), neque sunt nisi altera v. 13 translatio: « *Et erant cum David septem chori et victima vituli* ». Ubi *LXX* aliquid plus habent: *Et erant cum eo portantes arcam septem chori et victima, vitulus et agni*. Iam si haec in hebr. retrovertas et cum hebr. v. 13 compares, patet identitas:

v. 13 ויהו כז צעדו נשאי ארון שש צעדים ויזבה שור ו כרי א

v. 12 ויהו [עם דוד] נשאי ארון [שבע] צעדים ו זבה שור [ו כרי] א

Ex *vitulo saginato* facile factum est כרים *agni*. Ceterum, priorum vocem solum vitulum saginatum, et non etiam alia animalia pin-

guia, v. g. ovem, significare, extra controversiam non est; dubitavit *Tolet.*, et post ipsum *Ges.* (Thes. p. 816). — v. 13 « *Cumque transcensissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabat bovem et arietem* ».

Versionem LXX iam explicavimus; reliquae omnes concordant cum Hebr. *Then.* autumat, Hebr. edicere post *senos* passus habitum esse sacrificium: « *Quomodo* », exclamat, « *sacrificia in via immolari potuere? Nonne haec processio taedii plena esse debuit, prae omnibus quae unquam locum habuere? Nonne via in sanguinis torrentem mutari debuit?* » Respondet *Keil*, iter certe duabus levis minus fuisse, quibus distet Cariathiarim a Ierusalem; etiamsi igitur senis passibus sacrificia assignentur, suffecturas fuisse aliquas hecatombas; nec affirmari, ad singula sacrificia processionem substituisse. Sed, quod praecipuum est, textus non affirmat post *senos*, sed post *sex* passus habitum esse sacrificium; et intelligi sex primos passus tantum, patet ex tempore verborum (*Wellh.*). Utrum vero passus fuerint sex an septem, quem numerum LXX h. l. habent et omnes 1 Par. 15, 26, ambigitur; fortasse numerum septenarius tamquam sacrior praefendus. David, uti ex 1 Par. 15 patet, in hac arcae translatione legis praescrupta accuratus, quam pridem, observavit. Arcam non curru vexit more Philisthaeorum (cf. 1 Reg. 6, 7), neque in domum privatam divertit, sed prius tabernaculo arcae preparato (v. 1), per levitas ad id electos (v. 2) et consecratos (v. 12) humeris portari iussit (v. 13). Ubi deinde arca, nomine laeso, se portari passa est, post septem primos gressus substituit processio et gratiarum actionis viciniam immolavit.

1 Par. 15, 26 legitur: « *Cumque adivisset Deus levitas, qui portabant arcam foederis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes* ». Quibus verbis putat *Keil* exprimi sacrificium alterum in fine itineris oblatum. Sed, cum ea verba reperiantur in loco nostro versus omnino correspondente, cum narratio v. 14-16 parallela sit narrationi 1 Par. 15, 27-29, decursum itineris, non finem describens, cum illa expressio « *cumque adivisset Deus levitas* » sit obscurior, textus vero hebraei valde affines, non improbabiliiter defenditur, textum 1 Par. 15, 26 esse depravationem eius textus, quem 2 Reg. 6, 13 correcte exhibet. Ubi nota, Par. consuevit textui originali identidem aliqua verba explicationis gratia addere. Sic ad « *qui portabant* » addidit « *levitas Dei* », pro « *arcam Domini* » scripsit « *arcam foederis Domini* ». Iam voces « *levitas Dei* », transpositae in « *Deus levitas* », confusioni ansam praebuerunt, cum iam « *Deus* » videretur esse subiectum phrasae. Porro ויזבה aliquantulum suo loco migravit, et pro כרים, quod ipsum ex כריא corruptum ostendimus, positum est synonymum אולים. Quibus attentis iam comparantur textus, et eorum substantialis identitas patet:

| | | | |
|---------------|---------------|-------------|--------------------|
| 2 Reg. 6, 13 | יהוה יזבה | נשאו ארון | ויהו צעדרו |
| 1 Par. 15, 26 | [ו] יהוה יזבה | נשאו ארון | ברת יהוה ויזבה [ו] |
| 2 Reg. 6, 13 | ששה צעדים | שור וזריח | |
| 1 Par. 15, 26 | שבעה כרים | ושבעה אולים | |

v. 14 « *Et David saltabat totis viribus ante Dominum; porro David erat accinctus ephod lineo* ». De hac veste cf. dicta ad 1 Reg. 2, 48. Maiorem etiam in hoc reverentiam David ostendit, quod in priori Ozeatione v. 5 fortasse neglexerat. Ex quibus omnibus colligitur, caede Ozeae non tam individui hominis, quam regis totiusque populi neglectum in sacris admissum esse punitum. Vestes sacrae nonnihil accuratius describuntur 1 Par. 13, 27.

כרר (Vulg. saltabat), כררזע לעגומענון. Et 1 Par. 13, 29 correspondere רקד, falso astruunt Ges. Fürst, cum revera correspondeat סרוק (cf. 2, 14), cuius significatio est *locari, ludere*; ex nullo textu clare evinci potest saltandi significatio. Chald. שבה, uti v. 5, laudabat; idem Syr.; LXX *Et David pulsabat in organis modulatis coram Domino*, sc. pro hoc verbo legentes כרר בכל עץ, uti iam v. 5 עץ ורגמנון; ῥρημοσμενοίς habent, quod ibi abundat tanquam textus versio corrupta et repetita. Iam saltandi significatio (Vulg.), licet ex etymo et versionibus erui nequeat, re tamen vera est, quia musicam sacram corporis motus harmonicis comitabatur; corroboratur v. 16, ubi habetur שמעל ורגמנון בפניה (Vulg. subsilientem), cuius loco 1 Par. 13, 29 est רקד, cui voci ex Ps. 38 (29), 6; 113 (114), 1. 6 significatio exsultandi, saltandi certo competit, et concordant versiones.

v. 15 « *Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in iubilo et in clangore buccinae* ». Alia instrumenta addit 1 Par. 13, 28. חריעה, Chald. לבבא, item Syr., dicitur de iubilo fragore instrumentorum musicorum expresso. — v. 16 « *Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul, prospiciens* », Hebr. protendens se, « *per fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino, et desepxit eum in corde suo* ». Michol filia erat regis, qui de arca tot annis in Cariathiarim relegata vix unquam videtur fuisse sollicitus. v. 17 « *Et introducerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino* ». v. 18 « *Cumque complexisset offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum* ». Talis benedictio fusius describitur 3 Reg. 8, 55. v. 19 « *Et partitus est universae multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulae carnis unam, et similam frizam oleo; et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam* ».

Collyridam חלה, 1 Par. 16, 3 בכר, rotundum quid, ergo torta, placenta. — Assaturam bubulae carnis אשפר, אשפר לעגומענון, eodem modo vertunt Chald. Syr. Quodsi ea versio reapse orta sit ex discrepta voce in שא ignis et פ' ב' bos, ergo caro bovina assata, sane versio ridicula est: sed num non aliquam significationis vocis traditionem habuerunt fortasse ii, a quibus ea vertendi ratio profecta est? Derivationis אשפר metiri (ergo portio) iam meminit Malo; sed quaeritur maxime, cuius rei portio intelligatur. LXX εσγασματα, aliquid genus polentae, quam tamen vocem Then. putat non

esse aliud, nisi diversam lectionem אשפר, terminatione graeca affixa; 1 Par. 16, 3 εσγασματα, Ag. Symm. εσγασματα, quae est mellis placenta. Ubi tandem adverte, facile potuisse εσγασματα ex εσγασματα corruptione oriri, vel vice versa. Omnino designatur eibus aliquis solidus, nam potus vix medius inter duo ciborum genera poneretur. — Similam frizam oleo. Quid sit אשפה ex Os. 3, 1 colligitur: est sc. aliquid pertinens ad uvam, ergo fortasse uva passa. Alii lagenam interpretati sunt, humanitatem magis quam lexicon secuti.

v. 20 « *Reversusque est David, ut benediceret domui suae* », sicut v. 18 benedixerat populo, « *et egressa Michol, filia Saul, in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus descurris* ». Minime dubitandum est, Michol rem gestam grosse exaggerare. Tam ephod quam stola videntur breviora fuisse ordinariis vestibus regis, unde iis indui, est nudari quadamtenus. Fortasse verba Michol simul manifestant contemptum status levitici, cuius eae vestes propriae erant. Aut dicas cum Est., nudatione exprimi ipsam regii ornatus abdicationem. Product utique verba mulieris animum elatum et acerbum, quo se rege patre progenitam omnibus reputabat superiorem; maiestatis exhibitioni plus aequo tribuebat. Qui animus procul dubio continuurum eam inter aliasque regias uxores rixarum ansam praebat: inde non pie tantum, sed prudenter etiam egit David, eam hac occasione increpando et relegando.

Hebr. Quomodo nudando se nudat unus de vacuis ריק vacuum significat, et quidem omne genus vacuitatis: esuriam, paupertatem, nuditatem, vanitatem. LXX unus de saltatoribus. Intelligitur infimae plebis homo, qui longissime absit a regia maiestate. — נגלות varie explicant grammatici, sive ut sit rarior forma infinitivi absoluti (Ges.), aut eiusdem (נגלת) transformatio ad instar praecedentis infinitivi constructi (Ew.), aut mendum librarii (Olshausen).

v. 21 « *Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum eius, et praecepit mihi, ut essem dux super populum Domini, in Israel* », v. 22 « *et Iudam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo* ». Accipe ultima haec eodem, quo praecedentia, sensu: Propter Dominum etiam plus quam antehac illius ironicae gloriae subire paratus sum, quam mihi v. 20 obiecisti. Quae expositio sui se simplicitate commendat. Aliter Then.: Bona ancillarum opinio mihi reparatio erit tuae despectionis; ast vix decet regem tanti facere bonam ancillarum opinionem. Keil: Haec agens cum illis ancillis coram Domino glorificabor; verum ancillarum glorificatio nullatenus est in quaestione. Ew., Welh., quaestionem interpretantur indignationis plenam: Tunc me vis ancillarum existimatio-

nem ambire! — Pulchre *Paterius*. : « Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem : pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit ».

LXX v. 21 inserunt : *Ante Dominum lusi, benedictus Dominus!* quae verba utique constructionem planam reddunt, et facile potuerunt exidere, scriba ab uno וררו ad alterum transiliente. Aliunde anacoluthum וישקתי neque in se valde durum est, et ob longitudinem membri antecedentis facile excusatur. Ante Dominum, qui (vel: quia) etc. ideo lusi. — Pro ורקלתי, et *levis, vacuus, despectus ero* (Vulg. villior suam), LXX legebant ורכלתי, et *discooperat*. Prior lectio respicit ad « scurros » seu « vacuos », altera ad « nudationem », cf. v. 20. Utraque sensum accurate reddit : Ante Dominum et propter Dominum illud, quod mihi obiciis, probrum subito, etiam plus quam feci hucusque. — *Humilis* i. e. abiectus. David loquitur ex mente Michol, quae supposuerat, debuisse eum intelligere *in oculis suis*, ipsum se abiectis ad instar scurrorum. Subintellige : Et ero abiectus etiam plus, quam fui. LXX legunt *in oculis tuis*, qui sensus in idem recidit, imo nonnihil est praegnantior : Nihil euro tuam de me opinionem, dummodo placeam Domino.

v. 23 « *Igitur Michol, filiae Saul, non est natus filius usque in diem mortis suae* ». Sensus copulae hebr. certe is est, effectus eorum, quae modo narrabantur, caruisse Michol filiis; potestque intelligi, vel ut Deus ei sterilitatem inflixerit (*Malv.*), vel ut David in posterum eius coitu abstinerit. Praestat fortasse utrumque coniungere, ut David ab uxore eosque sterili in posterum abstinerit. Idque valde conveniens erat, postquam David v. 21 uxori publice exprobrasset, patrem eius totamque domum a Deo esse reiectam. Quare, quae occasione ingressae arcae locum habere, causa fuere non quidem completa et unica, sed partialis et tempore ultima, cur Michol liberis orbata permanserit. Suos in eo facto sapientissimos fines Dei providentia consequatur, « ut nullus regnaret ex eo semine; erat enim verisimile, populum fore praclaturum eum, qui utrimque fulgeret claritate generis » (*Theodoret.*). — Hic versus merito illis obicitur, qui ex Matth. 1, 25 impugnant B. V. post partum virginitatem, cf. *Sanct.*

Hos versus 20-23 auctor 1 Par. omisit, quod ad privatam Davidis historiam pertinerent, et ad ruinam domus Saul, quae duo ille sibi auctor describenda nequaquam proposuerat; novit tamen factum, quod 1 Par. 13, 29 exinde elucet, quod Davidem a Michole despectum esse referat.

2) Domus Davidi aedificanda promittitur 2 Reg. 7, 1-29.

ARG. — Duplici documento haec promissio enarratur : primum v. 1-17 ipse Nathan inducitur eam promissionem Davidi annuntians, secundo v. 18-29 promissionem sibi factam David oratione ad Deum directa celebrat. Pronuntiat igitur Deus per Nathan, nulli antehac demandatam fuis-

se domus divinae aedificationem; recensentur favores Davidi collati; promittitur domus eidem a Deo aeternum duratura aedificanda, atque domus Deo a Davidis semine vicissim extruenda. David v. 18-24 primum gratias agit acceptae post tot beneficia tantae promissionis, quibus Israel prae omnibus nationibus honoretur; v. 25-29 Deo, ut cito promissa executioni mandet, supplicat.

Cap. VII v. 1 « *Factum est autem, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis* », v. 2 « *dixit ad Nathan prophetam : Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?* ». Nathan in munere prophético censendus est inior fuisse quam Gad, qui et prior commemoratur 1 Reg. 22, 5, et inter historiographos regni Salomonis 2 Par. 9, 29 non recensetur. Unicus prophetarum, qui Samuelem inter et Eliam vivere, Eccli. 47, 1 encomio honoratur.

Cum *sedisset etc.*, cum sedem stabilem fixisset, expeditionibus bellicis iam minus interruptam, in domo cedrina ope Hiram 5, 11 aedificata. — Pro וררו *dedisset ei requiem*, legebant LXX והררו *haereditare fecisset eum*; 1 Par. 17, 1 omittitur totum incisum: eo apte describitur tempus, quo Davidem idea paradicae pro arca *sedis* et *requioi* primum perulerit. — *Pellium* : וררו *agilare, bene exprimit oppositionem inter solidum Davidis et provisorium arcae habitaculum.*

v. 3 « *Dixitque Nathan ad regem : Omne, quod est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum est* ». Propheta erat consiliarius regis, neque tamen continuo prophético afflatu consilia edebat, cf. S. Thom. II. II. q. 171 a. 5. Deus, « dum prophetae spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate » (*Rhab.*). « *Homo*, quod humana primum ratio dictabat, exposuit; idem *propheta*, divino afflatus spiritum, quod ante laudaverat, damnavit » (*Ephraem* I. 403, apud Vere.). Durius *Angelom.* alique prophetam carpunt : « Erravit de sensu suo praesumens, prius enim Deum interrogare debuit ». Prudenter *Calm.* : « Forte etiam David », inquit, « virum consulebat, non prophetam ». v. 4 « *Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens* » : v. 5 « *Vade et loquere ad servum meum David : Haec dicit Dominus : Numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?* » « Et primum quidem eum consolatus est appellatione servi, est autem summus honor nomen gere servi Dei » (*Theodoret.*). *Syr.* h. l., et ad 1 Par. 17, 4 omnes, loco interrogationis legunt negationem : « Non tu aedificabis etc. ». Sensus idem est, nam factum in quaestionem vocare tantum est, atque animum ad illud negandum paratum manifestare.

Iam sequentia ordiuntur a particula causali ו *enim*, non quasi haec rationem reddat verborum immediate praecedentium : Non aedificabis